



BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII

20





10-11



INFORMATIO  
HISTORICA ET JURIDICA  
*De Bonis Collegij Crozensis*  
*Societatis IESV,*  
dictis Gietowtyfszki, Miłzowiány,  
& Zyrniány.



I.



NNO Domini 1608 Patres Societatis IESU Samogitiæ Diocesim ingressi, ab Illustrissimo & Reverendissimo Dño MELCHIORE GIEDROYC Episcopo Samogitiæ perbenignè suscepti, stationem fixerunt Crozis. Pro erigendo Crozis Collegio, statuerat idem Illustrissimus Loci Ordinarius emere Crozos, & bona Poswitynie nuncupata in Districtu Upirensi sita, quæ antecederet jure perpetuo, ære proprio patrimoniali à Perillustri Dño NICOLAO BURBA Notario Terrestri Samogitiæ emerat, adnectere: sed morbo lethali à perficiendo negotio præpeditus, super prædicta bona Poswitynie Collegio Societatis IESU Cro-

A

zen-

zenti futuro duo millia aureorum Hungaricalium testamento legavit, sub cuius testamenti dispositione è vita discessit. Ita refertur in Instrumento Iuridico testimoniali Illissimi ac Rissimi Dñi MELCHIORIS Heliaszewicz GIEYSZ, prius Archidiaconi Vilnensis Referendarij M. D. Lit. Plebani Crozensis, deinde Episcopi Samogitiæ sub numero XI infra. In Bulla URBANI VIII Anno Dñi 1640 die 7 Idus Decembris emanata, & in alijs Iuris Instrumentis.

**II.** Successor proximus in Episcopatu Illustrissimus ac Reverendissimus Dñus NICOLAUS PAC bona Poswitynie summâ legatâ duorum millium aureorum onerata pro Collegio Crozensi, bonis mensæ Episcopalis adjunxit ob vicinitatem aliorum bonorum Episcopaliū, quæ ut forent libera, cum consensu Venerabilis Capituli Mednicensis per commutationem bona Miżowiany, & Zyrniany mensæ Episcopalis & prædiolum Gietowtyszki Altariæ Crozensis tunc vacantis, jure perpetuo in possessionem actualem & realem tradidit; executionem capiendæ pro Patribus Societ: IESU Crozensibus possessionis & intromissionis commisit Præfecto Curiaë suæ Vornensis Dño NICOLAO SAWICKI. Habetur Epistola demandatoria Illustrissimi Loci Ordinarij ad eundem Præfectum sub die 15 Decembr: Anno 1613.

**III.** Anno 1614 Illustrissimo Dño Loci Ordinatio Patavij valetudinis curandæ gratiâ commorante, Perillustri ac Reverendissimus Dñus MELCHIOR HELIASZEWICZ GIEYSZ, Custos Vilnensis, Plebanus Crozensis, Episcopatus Samogitiæ Administrator, prædicta bona Miżowiany, Zyrniany, & prædiolum Gietowtyszki cum suis villis & pertinentijs, ex mandato ejusdem

II.

XVII - 20 - III



Illustrissimi, instrumentoq; juridicè in Italia confecto & transmissò ad se, de consensu Venerab: Capituli Rectori Collegij Crozensis R. P. Ioanni Iamiełkowski in perpetuam ac realem possessionem tradit. Habetur instrumentum commutationis perpetuæ, in quo ponuntur illa verba: *In vim satisfactionis pro parte bonorum olim ab Episcopo Samogitiæ sanctissimæ memoriæ D. MELCHIORE GIEDROYC emptorum, & Societati IESU destinatorum, vocatorum Possitivitynie, ac ob contiguitatem per Illustrissimum Dñum PAC alijs bonis Episcopalibus adjunctorum. Datum Vornix die 12 Decembr: 1614.*

**IV.** PRO Confirmatione hujus commutationis supplicârunt anticipato tēpore Summo Pontifici PAULO V. Illustrissimus Loci Ordinarius & Venerab: Capitulum Mednicense. Datum Vornix sub die 12 Decēb: 1613. Subscripsit Illustrissimus Loci Ordinarius & Perilluitris Dñus IOANNES WYSZOMIRSKI Canonicus & Procurator Venerab: Capituli Mednicensis.

**V.** DESiderabat equidem Illustrissimus Dñus Loci Ordinarius NICOLAUS PAC, ut Domicilium seu Collegium Societ: IESU erigeretur Vornis, ad quod offerebat Templum Parochiale tituli S. ALEXANDRI, cum area, ædificijs, hortis, Campis circum circa sitis; sed RduS P. IOANNES ARGENTUS Visitator Provinciae ex mente Admodam R. P. Generalis CLAUDII AQUAVIVÆ, visis & diligenter perpensis impedimentis, spectatâ Majore DEI gloriâ, attenta voluntate Illustr: Dñi Antecessoris MELCHIORIS GIEDROYC, qui Crozos pro Collegio Crozensi emerere voluerat; respondit pro Collegio Crozensi rogans benedictionem, atq; auxilia; cui ibidem erigendo se accingit & foundationem

gruam apparat Illustrissimus D. IOANNES CAROLUS CHODKIEWICZ Generalis Samogitiæ. Dat: Varfaviæ 5 Octobr. 1614. Gaudebat itaq; Collegiũ Crozense prædictorum bonorum possessione pacificã per commutationem datorum annis decem absq; præensione missionis statariæ, atq; Professoris Casuum Conscientiæ Vornis.

VI. ANno 1622 Illustrissimus Dñus STANISLAUS KISZKA Episcopus Samogitiæ scripsit Epistolam ad R. P. Augustinũ Vivaldum Provincialem Litvaniæ, rogans pro Residentia Vornensi Patres destinandos anno sequenti pro Lectione Casuum Conscientiæ, pro Concionibus, & Confessionibus. Testatur eleemosynam annuam florenorum quadringentorum à se in Bonis Dokrzyce fundatam esse, iisdem Patribus Vornensibus applicandam, & omnia alia modo debito præstanda est pollicitus. Petijt ut Patres deputati pro Vornis, manerent in Collegio Crozensi donec redux Gedano circa finem Augusti, illos accersat Vornios & introducat. Addit se obligatum fore Collegio Crozensi expensas id temporis in Patres Vornenses factas cõpensare. Dat. Caunæ 24 Iulij, 1622. Ex hac Epistola Illmi L. Ordinarij *Constat 1mo* Nostros Patres Vornis non mansisse ab anno 1614 ad annum 1622. *Constat 2do* non fuisse postulatos titulo fundationis super bona Miżowiany, & Zyrniany, pro Lectione Casuum, Concionibus & Confessionibus: horum enim bonorum nulla fit ibi mentio. *Constat 3tio* non fuisse obligatum Collegium Crozense ad alendos Patres Vornensis futuræ proximè Residentiæ. Hoc sonant illa verba. *Obligatus ero expensas id temporis factas compensare Collegio Crozensi.* *Constat 4to* Eleemosynam annuam florenorũ 400 fuisse deputatam ab ipso Illmo Dño STANISLAO KISZKA L. Ordinario pro sustentatione Cõcionatoris & Pœnitentiarij Cathedralis juxta nostri Instituti Capacitatẽ.



**VII. ANNO 1624. 1 Decembris, Dominicâ 1 Adventus.**

Per Illustris ac Rndmus Dnus **MATTHÆUS BABINOWSKI** Canonicus Samogitiensis, pulsu tympani Vornis convocata armata multitudo inscijs & securis Patribus Collegij Crozenis Soc: **IESU** prædium Gietowtyzki sub vesperum invasit, familiâ prædij, vinctam detinuit; ne quispiam illorum invasionem factam Collegio denuntiaret; ex aula prædij omnes res avexit ad aulam Episcopalem Vornensem, pecora omnia abegit, nihilq; præter nudos parietes reliquit. Id executum se attestatus est **R. D. BABINOWSKI** juxta mandatum sui Principalis sub censura sibi intimatum Literis Româ datis 24 Augusti 1624 & die 18 Septembr. 1624 & sub juramento & censura Ecclesiastica sibi imperatum fuisse secretum. Per Nobiles Vicinos postero die delata est ad Collegium invasio, & expilatio prædij. **R. P. Ioannes Kaspowicz** Rector, **P. Ioannes Umiastowski** Procurator Collegij Crozensis die 10 Decembris ejusdem anni 1624 personaliter in loco Capituli Mednicensis comparentes, de invasione, & damnificatione rerum valoris aureorum trecentorum & triginta solenniter protestati sunt, sed protestatio ad Acta Capituli non fuit admessa, contra **R. D. Babinowski**, datumq; responsum à Capitularibus, hæc universa facta esse autoritate Illustrissimi **D. L. Ordinarij**. Tandem die 28 Decembris Protestatio **R. P. Rectoris** recepta est à Consistorio Vilnensi, & ad Acta relata.

**VIII. ANNO 1625 die 3 Januarij** causa juridicè delata est ad Illustrissimum & Reverendissimum **D. IOANNEM BAPTISTAM LANCELLOTUM** Nuntium Apostolicum, qui monitoriam misit ad Capitulum Mednicense ut ante omnia expulsi restituerentur. Varsoviæ in Nuntiatura hærente causâ **R. D. POVETRIUS** acceptis

Literis à Venerabili Capitulo Mednicensi ad instantiam sui Principalis, Causam coram Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Tridentini Concilij Interpretum, absente altera parte proposuit per sequentia puncta.

**IX.** *Primum punctum.* In Ecclesia Cathedrali Mednicensi deficiebant præbendæ Magistralis, & Pœnitentiariæ. Quocirca NICOLAUS PACIUS tunc Episcopus, in vim Concilij Tridentini univit quædam bona Unius Simplicis beneficij tunc vacantis Gietowtyfski, & alia bona Miłżowiany nuncupata, illaq; sic unita pro erectione dictarum præbendarum applicuit. *Punctum 2um.* Obtulerunt Patres Soc: IESU supradictis muneribus se velle satisfacere, si ipsis supradicta bona concessa fuerint. *Punctum 3tium.* Ad hunc effectum Collegium in eadem Civitate pro Instructione puerorum & seminarij construere promiserunt. Qua oblatione & promissione facta Dñus Episcopus oretenus eadem bona illis concessit. *Punctum 4tum.* Patres Societatis obligationis immemores, Collegium in Oppido Crozenfi distante à Civitate per triginta miliaria & ultra construxerunt, nec unquam supradictis muneribus satisfacere curaverunt. *Punctum 5tum.* Episcopus modernus KISZKA acclamationibus Capituli motus eadē bona à Patribus abstulit. &c. &c. *Punctum 6tum.* Supplicat itaq; humillimè Episcopus & Capitulum Mednicense Illustrissimis DD. VV. quatenus dignetur declarare, nullum jus competere Patribus Soc: IESU super prædictis bonis. Hac narratione audita tale emanavit Decretum:

**D**ie 24 Ianuarij A. MDCXXVI. S. Congregatio Concilij Tridentini Interpretum censuit ex his, quæ hactenus deducta sunt, Religioni Soc: IESU supra bonis huiusmodi nullum Ius competere.

Cardin: de Sines.

Prosper Fagnanus.

10.

**X. R**esponſa Patrum Soc: IESU ad Puncta per R. D.  
Povetrium Coram Eminentiffimis Cardinalibus  
Sacri Concilij Tridentini Interpretibus ad obtinendum de-  
cretum allegata.

*PRimo.* R. D. Povetrius ſtudioſè tacuit, & de induſtria  
omifit illam Veritatem, pro parte Societatis militantem,  
quæ fuit principalis & unica, vi cujus bona Gietowtyſzki  
Mitſzowiany, & Zyryny à piæ memoriæ Illmo D. NICO-  
LAO PAC Epifcopo Samogitiæ cum conſenſu Venerab:  
Capituli Mednicenſis Patribus Collegij Crozëſis Soc: IESU  
attributa fuerunt. Nempe tacuit titulum cõmutationis pro  
parte bonorum Poſwitynie an. 1614 cum conſenſu Venerab:  
Capituli factæ, & executioni mandatæ, ut patet ex præmiſ-  
ſis ſupra ſub n. 2 & 3. Porrò quando veritas principalis, ſeu  
motivũ principale occultatur, & ne contrarium illo cognito  
fiat, tacetur, tunc Reſcriptum datũ, Contractus initus, de-  
cretum latum, ſunt ſubreptitia & irrita. DD. CC. ad Cap.  
*Ad audientiam.* de Reſcriptis 31. *Clementina* I de Præbendis.  
Cap. *ex parte de Reſcriptis* 2 §. *Verum* ubi dicitur: *Intelli-*  
*genda eſt hæc conditio,* tametiſi non apponatur. *Si præces Veri-*  
*tate nitantur.* Poſt Decretum una tantũ parte informante  
à R. D. Povetrio obtentum, allatum eſt à Patribus Soc: IE-  
SU Crozenſibus Romam ad Curiam S. Congr. Tridentini  
extractum Iuridicum teſtamenti Illmi D. MELCHIORIS  
GIEDROYC Epifcopi Samogitiæ, in quo affirmatur em-  
ptam eſſe partem bonorum Poſwitynie dictorũ, & destina-  
torum pro initio Collegij Crozenſis Soc: IESU pecuniã ex  
patrimonio, non ex proventibus Eccleſiaſticis acceptã, quam  
pecuniam duorum millium aureorum Hungaricalium tenetur  
reddere Societati Suſceptor Epifcopus, ſi bona Poſwitynie  
retinere voluerit. 2do. Productum eſt Inſtrumentũ authen-

ticum cōmutationis, in quo habentur illa verba: *In vim satisfactionis pro parte bonorum vocatorum Poswitynie.*

**XI.** *T*ertio allata sunt ad eandem Curiam Romanā testimonia omni exceptione majora. *Testimonium Imū* Illmi ac Rndmi Dni Ioannis Baptistæ Lancelloti Episcopi Nolani, per Regnū Poloniæ & M. D. L. Nuntij Apostolici, in quo attestatur *imo* Bona Poswitynie duobus millibus aureorū olim à Rēmo Dño Melchiore Giedroyé cōempta, esse testamento legata Patribus Societatis in sua Diœcesi pro fundatione Collegij. *2dò* attestatur Successorē illius Rndmū Nicolaum Pac prædicta bona detinuisse, & in locum emptorum bonorū assignasse Villam dictam Miżowiany & Prædium Gietowtyszki. *3tò* Censet Patribus Societatis confirmationē à Sanctissimo non videri denegandā; siquidem cedit in evidentem Ecclesiæ utilitatē. *4tò.* Testatur Crozos distare Vornis milliaribus quatuor. *5to.* Patres Societatis nullam habuisse à principio obligationem ad certum locum; Crozos autē delegisse tanquam locū salubriorem, & ad concursum Discipulorū magis accōmodatum; ibidemq; Collegiū ac tēplum extruxisse, neq; amplius à Rndissimo Kiszka moderno Episcopo impediri posse. *6to* asserit se respondere hac informatione & relatione ad Literas piæ memoriæ Cardinalis Cajetani hac super re sub die 13 Ianuarij præteriti datas. Ioannes Baptista Lancellotus Episcopus Nolanus. Varsoviæ die 6 Iulij, Anno 1626.

*T*estimonium 2dum Perillustris ac Rndissimi Dni Melchioris Heliaszewicz Gieysz Archidiaconi Vilnēsis, Referendarij M. D. L. Plebani Crozensis, qui post Illustrissimum ac Rndissimū Abrahamum Woyna ad Episcopatū Samogitiæ evectus est.

**XII.** *P*rimò notum testatumq; facit uniyersis & singulis,  
quo-

quorum interest, aut quovis modo interesse poterit, præsentem causam sibi optimè notam, utpote qui ab Anno 1595 Clericatus sui primo adhæserat Episcopis post se succedentibus Reverendissimo MELCHIORI GIEDROYC & Reverendissimo NICOLAO PAC, & secretissima quæq; illorum consilia, ac facta perfectissimè noverat ac Vicarium Generalem quinquennio, Illustrissimo NICOLAO PACIO Patavij in Italia valetudinis curandæ causâ commorante, gesserat. 2dò. Nullum ex prædictis DD. Episcopis ulla bona vel præbendas ad Cathedram Samogitensem pro sustentatione Theologorum sive Pœnitentiariorum emisse, & ea Patribus Soc: IESU cum iisdem oneribus (ut à quibusdam falsò asseritur) tradidisse. 3tiò. A Reverendissimo D. GIEDROYC duo millia aureorum supra bonis à se emptis Poswitynie vocatis, inscripta Patribus Soc: IESU in Samogitia residentibus, nulli eos loco & obligationibus adstringendo. 4to. In vim satisfactionis pro summa duorum millium aureorum in Poswitynie inscripta, Reverendissimum D. PACIUM Miłżowiany, & prædiolum Gietowtyfszki ad Altariam Ecclesiæ Crozensis antiquitùs spectans (cujus ego, inquit, triginta Annorum Parochus sum) per modum commutationis Patribus iam Crozis Collegium erigentibus attribuisse. 5to. Scripto mandatorio ex Italia misso per manus illius, tanquam sui legitimi Vicarij prælibatis Patribus prænominata bona in realem & actualem possessionem tradidisse. 6to. Patres ultra decennium in prædictorum bonorum pacifica possessione fuisse. 7mo. Successu temporis ex illis bonis violenter & scandalosè Patres extrusos & eiectos fuisse. In quorum omnium fidem hoc testimonium evidens manu propria subscripsit & sigilli appensione munivit. Anno Dni 1626. die

19. Aprilis. MELCHIOR HELIASZEWICZ Archidiaconus Vilnensis, M. D. L. Referendarius, & Parochus Crozensis.

(L. S.)

**XIII.** Tertium Testimonium Perillustris ac Reverendissimi Dñi IOANNIS KOZAKIEWICZ Canonici & Administratoris Episcopatus Samogitiæ, postea Episcopi Spigacensis, Suffraganei Samogitiæ.

*1um Punctum.* Testatur impositum esse Patribus Collegij Crozensis S. I. quasi bonorum pro Theologali & Pœnitentiali præbenda emptorum onera in se suscepissent, Vornisq; se mansuros promississent.

*2dum Punctum.* Bona Patribus S. I. à Reverendissimo piæ memoriæ PAC Episcopo Samogitiæ cum consensu Capituli data, non fuisse empta, sed à Serenissimo M. D. L. Principe VITOLDO Villam Miłżowiany pro mensa Episcopali donatam, prædiolum verò Gietowtyfzki pro Altaria in Ecclesia Crozensi fundata datum.

*3tum Punctum.* Hæc bona absq; omni alio onere pro commodiori sustentatione Patribus iam Crozis residentibus concessa fuisse. In quorum fidem &c. Vornis 29. Aprilis 1626. IOANNES KOZAKIEWICZ Canonicus & Administrator Episcopatus Samogitiæ.

Quartum Testimonium ex Epistola Reverendissimi D. STANISLAI KISZKA Episcopi Samogitiæ. Scripserat Illustrissimus ac Reverendissimus Præsul Epistolam ad R. P. AVGVSTINVM VIVALDVM Provinciale Litvaniæ, in qua petijt personas pro Residentia Vornensi futura, additq; sequentia. Interim autem antequam Gedano rediero, hi Patres à Reverentia Vestra pro Residentia Vornensi deputati maneant in Collegio Crozensi, cui ero obligatus expensas id temporis factas compensare. Ego autem statim dum Vornios venero, accersam Patres & introducam: eleemosynam quadringentorum florenorum à me fundatam applicabo Patribus, & omnia alia sient modo & ordine debito. Caunæ 24. Iulij 1622. STANISLAVS KISZKA, Episcopus Samogitiæ. *mp.*

Eò ipso, quòd Illustrissimus Præsul Collegio Crozensi habenti

ei in pacifica possessione iam ab annis octo prædicta bona Miżowiany & Gietowtyszki, affirmat se obligatum fore ad compensandas expensas pro Patribus futuræ Vornensis Residentiæ dandas, proprio ore testatur istud Collegium non esse obligatum pro alendis Patribus Vornensibus; idq; asserit coram Provinciali omnium Collegij obligationum gnaro, atq; eidem promittit pro ipsis eleemosynam florenorum quadringentorum, & omnia alia modo & ordine debito facienda. Porro non est melior probatio, quàm proprij oris confessio iuxta Reg: Iuris de Probationibus. Hæc aliaq; testimonia in S. Congregatione Tridentini Concilij producta, recognita & probata, sinistram & falsam omnino R. Dñi POVETRII informationem patefecerunt, proq; Societate evicerunt iudicium.

**XIV.** Eodem Anno 1626. intra Dioecesim Samogitiæ intimata est mors Illustrissimi L. Ordinarij STANISLAI KISZKA die 21. Februarij per Perillustrem D. MATTHEVM BABINOWSKI Canonicum & Procuratorem Venerab: Capituli Mednicensis, Perillustribus DD. Canonicis & Prælati ejusdem Capituli, quæ contigit 13. Februarij 1626.

**XV.** Anno 1626. die 28. Februarij Vacante Sede, communi Laudo Venerab: Capituli Mednicensis, quod incipit: *Cum equitatis ratio postulet, ut suo iure quisq; gaudeat.* prædiolum Gietowtyszki & Villæ Miżowiany & Zyrniany R. P. IOANNI KASPROWICZ Rectori Collegij Crozensis S. I. restituta sunt. Subscripsere Laudum Perillustri ac Reverendissimus D. IOANNES KOZAKIEWICZ Canonicus & Administrator Episcopatus Samogitiæ, & ad Mandatum Venerab: Capituli Illustri D. MATTHEVS BABINOWSKI Canonicus & Procurator Capituli.

(L. S.)

(L. S.)

Eodem Anno, Mense & Die scribitur Epistola à Perillustri ac Reverendissimo D. Administratore Episcopatus ad R. P. Rectorem Collegij Crozensis, ut absq; mora bona supra nominata Gietowtyszki, Miżowiany & Zyrniany recipiat pro Collegio.

B<sub>2</sub>

Item

Item ad D. IOSEPHVM SOROKA Praefectum Łuknicensem, ut supradicta bona cum omnibus requisitis Collegio Crozensi restituat, cum omnibus antea ablatiis. Datt: Vornis 2. Martij 1626. Praeterea intimata est Villicis & Subditis Gietowtyscensibus & Miłzowianensibus ac Zyrnianensibus omnimoda Obedientia Collegio Crozensi S. I. praestanda. Supervenerunt ad Missionem Vornensem PP. S. I. Concionator & Pœnitentiarius, quibus attributa est eleemosyna annua florenorum quadringentorum ab Illustrissimo D. p. m. STANISLAO KISZKA in suis bonis inscripta, quæ eleemosyna tunc fuit sufficientissima pro duobus Patribus: nempe æquivalens aureis centum, iuxta Constitutionem Regni Poloniæ de Moneta Anno 1620. Porro Seminarium Clericorum fuit Crozis, ut etiam hodie testatur area Seminarij dicta, ab Illustrissimo & Celsissimo Principe RADIVILIO olim data. De Fundatione Seminarij Dioecesani P. ALBERTVS WIIVK KOIAŁOWICZ in Miscellaneis titulo *Episcopatus Miednicensis seu Samogitiæ* hæc annotavit. *Episcopus XVIII. GEORGIUS PIETKIEWICZ Nobilis Litvanus. Sub eo hæresis Samogitiam latè occupavit, cui malo ut obviam iretur, ad Tridentini præscriptum Seminarium Dioecesanum fundavit.* Hic autem Fundator proximè præcessit Illustrissimum D. MELCHIOREM GIEDROYC in Episcopatu Samogitiæ. Ex quo patet ante adventum Patrum Soc: IESV in Samogitiam, iam fuisse fundatum Seminarium Dioecesanum absq; Professore Seminarij ex Societate, non tamen absq; ullo Professore, quia foret fundatio vana & inutilis discipulorum absq; Professore, ceu Corporis absq; Capite. Ex hoc etiam testimonio patet falsitas primi puncti à Reverendo Domino POVETRIO contra Societatem coram S. Congreg: Tridentini allegati.

**XVI.** Post obitum piæ memoriæ Illustrissimi Domini KISZKA successit in Episcopatum Samogitiæ Illustrissimus Dominus ABRAHAMVS WOYNA, cui proximè successit Illustrissimus Dominus MELCHIOR HELIASZEWICZ GIEYSZ, amborumq; sub Infulis gaudebat Collegium Crozen-



se supra nominatorum bonorum pacificâ possessione absq; ullis in contrarium prætensionibus. Quippe Illustrissimus Dominus HELIASZEWICZ, quam publico testimonio in causa Collegij Crozensis Soc: IESV asseruit, eandem ad extremum usq; spiritum, ubiq; locorum & hominum, tutatus est veritatem.

**XVII.** Anno 1635. Perillustris Dominus GEORGIVS ŁOPACINSKI Archidiaconus Samogitiæ Literas exaravit ad Novum Antistitem Samogitiæ Illustrissimum Dominum GEORGIVM TYSZKIEWICZ nomine totius Venerab: Capituli, stimulans ipsum, ut Seminaristæ Diocesani ad Ecclesiam Cathedralē Vornensem residerent, ibidemq; Casus conscientię, aliasq; bonas artes ediscerent. Rationes easdem recoquit, quas commentus fuerat Reverendus Dominus POVETRIVS: Societatis tamen nomen reticet, & quæ scribit, decisioni & arbitrio Illustrissimi L. Ordinarij offert. Proinde ad ipsius rationes responsum idem reassumitur, quod suprâ datum est Reverendo Dño POVETRIO sub num: 10. & 11. & 12. & 13. Videtur Perillustris Dominus ŁOPACINSKI casu quopiam in Actis Venerab: Capituli Mednicensis legisse ea sola; quæ innocuum Societatis IESV nomen commaculant, illa verò quæ emundant, ignorasse, adeoq; aliorum commentis bonâ fide credidisse, nec prosecutionem negotij, veriore acceptâ informatione urfisse; Nam ipse postea nomine Venerab: Capituli liberè ac benevolè consentit in Decretum Commissarij Papalis tanquam Plenipotentarius. Vide infra numerum 20. Anno 1644.

**XVIII.** Anno 1636. die 3. Augusti Illustrissimus Dominus GEORGIVS TYSZKIEWICZ Episcopus Samogitiæ Instrumentum Iuridicum pro Collegio Crozensi Soc: IESV dedit, præhabita sufficienti informatione, & communicato cum suo Venerabili Capitulo consilio, inhærendo cessionem bonorum Gietowtyszki, Miżowiany & Zyrniany per Antecessorem suum p. m. Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum NICOLAVM PAC factæ, in eandem cessionem & donationem consentit, illam admittit, atq; huiusmodi bona de novo, si opus est

est, Collegio Crozensi Soc: IESV concedit, dat donat perpetuò & in xvum: addens insimul plenam & omnimodam facultatem eidem Collegio; quatenus dictæ donationis confirmationem in urbe omni meliori modo obtinere possit. In cuius rei fidem instrumentum ejusmodi manu propria subscripsit, & suo sigillo munivit. Nomine verò totius Capituli Venerab: subscripsit & sigillo ejusdem munivit Perillustris Dominus IOANNES KOZAKIEWICZ Canonicus & Procurator Venerab: Capituli Medniceensis. Olsiadis Anno, Mense; & Die ut supra.

Porro instrumentum istud donationis de novo factæ confect & Collegio Crozensi tradidit Illustrissimus Dominus GEORGIUS TYSZKIEWICZ annis tredecim ante suum ad Episcopatum Vilnensem, Sedis Apostolicæ Authoritate ascensum. Videre licet apud Patrem ALBERTVM KOJALOWICZ WIVK in Miscellaneis titulo *Series Episcoporum Vilnensium* num: 18. & alia documenta sub Anno 1649.

**XIX.** Anno Domini 1640. die 7. Idus Decembris. Summus Pontifex VRBANVS VIII. supradicta bona sua Authoritate perpetuò de novo assignat, concedit, applicat, appropriat, unit, incorporat Collegio Crozensi Soc: IESV per suum Commissarium, de quo infra per Bullam incipientem: *Apostolici muneris sollicitudo*. In qua Bulla exprimitur pro Collegio Crozis erigendo Illustrissimum Dominum piæ memoriæ MELCHIOREM GIEDROYC Episcopum Samogitiæ super bonis Poswitynie proprio xre suo emptis, ultimo suo testamento, sub cuius dispositione è vita discessit; duo millia aureorum Hungaricalium legasse, & postmodum NICOLAVM PAC captâ accuratâ informatione, quòd in evidentem Ecclesiæ suæ utilitatem cederet, si prædicto Collegio locò honorum Poswitynie, Villæ Zyrniany & Miłzowiany concederentur, & dicta bona Poswitynie libera pro dicta sua Ecclesia retinerentur; de consensu Capituli & Canonicorum Samogitiensium prædictas Villas pro initio foundationis Collegij prædicti in satisfactionem pro dicto legato dedisse, & Capellaniam in Ecclesia Oppidi Crozensis tunc

Vacantis prædiolum Gietowtyski cum omnibus iuribus & pertinentijs univisse & incorporasse. *Ponitur add.* Absolutio Pontificia ab omnibus censuris GEORGII Episcopi & Rectoris Collegij Crozensis Soc: IESV ad effectum præsentium duntaxat consequendum.

*Tertiò additur.* Præsentis Literas Apostolicas semper & perpe uò validas & efficaces existere suosq; plenarios & integros sortiri & obtinere effectus; sicq; & non aliter per quoscunq; iudices Ordinarios & delegatos etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores &c. &c. iudicari & definiri debere.

*Quartò.* Sub Clausula *Non obstantibus* irritantur Ecclesiæ Samogitiensis Ordinationes, Statuta, decretum & inhibitiones, quibus alias quomodolibet sit processum.

**XX.** Anno Domini 1644. die 26. Februarij ad instantiam Reverendi Patris IACOBI PASVRKIEWICZ

Rectoris Collegij Crozensis Soc: IESV Perillustris ac Reverendissimus Dominus ALBERTVS ZABINSKI Decanus & Officialis Vilnensis, Protonotarius Apostolicus ad executionem Bullæ prædictæ per decreta Auditoris Cameræ Apostolicæ Anno 1641. die 15. Octobris, & Anno 1643. die 20. Martij emanata stimulatus, tanquam Sedis Apostolicæ Commissarius in hac Patrum Societatis, Episcopi & Capituli Samogitiensis Causa, Literas Cridæ Generalis seu Citationis Commissorialis ad omnes interesse suum quodcunq; prætendentes expeditis Crofos, & Wornios; pro termino Comparitionis diem 30. Aprilis designavit, & hac præpeditâ die, deinceps diem 3. Iunij. Itaq; die 3. Iunij eodem Anno comparuerunt coram prædicto Sedis Apostolicæ Commissario ex parte Illustrissimi L. Ordinarij & Venerab: Capituli Mednicensis Reverendissimus Dominus IOANNES KOZAKIEWICZ Episcopus Spigacensis, Suffraganeus Samogitiæ, eiusdemque Episcopatus Procurator, ac Perillustris Dominus GEORGIUS ŁOPACINSKI Archidiaconus Samogitiæ, qui nomine L. Ordinarij & Venerab: Capituli, habito & probato procuratorio Mandato seu Plenipotentia Episcopi & Capituli Mednicensis, nulla in oppositum facta prætensione, sponte liberè, & benevolè

in Proecessum & Decretum Commissarij Apostolici, quoad de novo concessionem, applicationem, unionem, & incorporationem perpetuam Pontificiam prædictorum Bonorum Collegio Crozensi Soc: IESV. Quæ per Commissarium Papalem executio, reintroductio, nova donatio Pontificia unio & incorporatio facta est vivente Sanctissimo Domino Nostro VRBANO VIII. Facta proinde iuridica Papali approbatione, unione, & incorporatione ab Anno 1644. hæctenus gaudet Collegium Crozense Soc: IESV pacifica prænominatorum bonorum possessione.

**XXI.** Totus hic Processus Cause habetur in Actis Consistorij Episcopatus Vilnensis eodem anno ut supra proximè. Idem Anno 1645. die 1. Maij relatus est in Acta Consistorij Mednicensis per IOANNEM CZERNIEWSKI Auctoritate Apostolicâ Notarium publicum, ex Mandato Perillustri Domini NICOLAI BLASZKOWSKI S. Theologix Doctoris, Custodis & Officialis Mednicensis.

Ad  
M. D. T. O. M. G. B. V. M.  
S. L. O. C. Honorem.



*ci azek wszętkich sęznasie*

